



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. De peivilegio celebrandi in altari viatico, seu portatilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

licet hoc regularibus. Quòd si tamen in loco aliquo interdictum tale in favorem aliquorum positum, non servetur ab illis, in quorum favorem interdictum hoc positum est, neque alij ejusdem loci servare illud tenentur *cap. petisti 20. h. t.* neque enim legem, quam quis servare negligit, alijs imponere debet, aut ab alijs exigere, quod à se ipso multò facilius exigere deberet.

§. III.

De privilegio sepultura Ecclesiastica tempore interdicti.

Concessum esse hoc privilegium quibusdam regularibus, ut qui eorum fraternitati sunt adscripti, & mutato habitu seculari, eorum ordinum oblato habeantur, vel qui omnia sua bona dederunt talibus regularibus, solo usufructu, dum vixerint, retento, possint interdicti tempore in Ecclesia interdicta sepeliri, si parochiani illius Ecclesie sint, aut de jure communi in tali Ecclesia sepeliri debeant, neque sepulturam aliam, in loco v. g. non interdicto, sibi elegerint, modò non sint excommunicati, aut nominatim interdicti *ex cap. ut privilegia 24. §. sanè h. t.* patet: cum his talibus, ob favorem religionis, cui se, & sua obtulerunt, speciale quid in tali casu merito concedatur.

§. IV.

De privilegio celebrandi in altari viatico, seu portatili.

Usus altaris portatilis hodie fortasse communior est, quàm jus commu-

ne concedatur: cum in ipsis etiam consecratis, aut divino cultui per Episcopum benedictis, aut designatis Ecclesijs altaris portatilis frequens sit usus: quid sit autem altare portatile, & quando consecrationem suam amittat, dictum in *lib. 3. Decret. tit. 40. §. 4.* Ex hoc tamen §. habetur, & *ex cap. quoniam 12. h. t. in 6.* quod de jure communi usus altaris portatilis in ordine ad celebrandum in eo sacrum, etiam extra Ecclesiam, sit concessus Episcopis, & qui his superiores sunt, ut vel ipsi in eo, ubi vis locorum celebrent, vel celebrare coram se faciant, cum enim hi tales frequenter à suis Ecclesijs, ratione negotiorum, totam Diocesim concernentium, abesse debeant, & non habeant facilem occasionem semper alibi in Ecclesijs celebrandi, decens autem sit, ut singulis diebus Massam vel celebrent, vel audiant, consequenter usus portatilis altaris concessus illis fuit, quo pro suo libitu, ubicunque locorum fuerint, etiam extra suam diocesim, uti possunt. Hodie autem pluribus etiam alijs regularibus usus hic altaris portatilis concessus fuit, sine præjudicio tamen jurium parochialium, ut patet *ex cap. in his 30. h. t.* & ex specialibus privilegijs regularium, quæ noverunt illi, quibus hæc privilegia concessa sunt: & cum licentia ordinarij in privatis etiam oratorijs, aut capellis usus altaris portatilis ad celebrandum conceditur, quævis Trident. *Sess. 22. in Decreto de observan: & evitand. in celebrat. Miss.* multùm hanc facultatem restrinxerit, si non omninò sustulerit, ut volunt aliqui.

§. V.